

16588 551.52
FRIGVS CAPIT I
FOTVM CALOREM QVE PEDIBVS MAGIS CONVENIRE
SVCCINCTE OSTENDIT

ET 216152
AD SOLEMNEM PANEGYRIN
IV. CANDIDATORVM MEDICINAE
POST RES QVAE SVI OFFICII SVNT

STRENVE GESTAS
DIE XVII SEPTEMBRIS
QVI MEMORIAE INAVGVRAE ACADEMIAE SACER EST
IN TEMPLO ACADEMICO
HONORIBVS IN MEDICINA SVMMIS
CONDECORANDORVM

I N V I T A T
GEORGIUS GOTTLOB RICHTER D.

CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER REGIVS
PROFESSOR MEDICINAE PRIMARIVS
ET H. T. ORDINIS MEDICI DECANVS ET BRABEVTA.

~~~~~  
GOTTINGAE  
LITTERIS SCHVLZIANIS.

1756.

Altestand





**C**apiti & pectori, cum principes corporis partes sint & nobilissimarum functionum sedes, vallum Natura obiecit contra externas iniurias, inter quas tamen aerem, qui saepe frigidior externum caput alluit, pectus etiam altius subit, haud agnouisse videtur. Si vero illa non agnouit ad omnem indigentiae nostrae flatum tam attenta, iustus tanquam in periculo metus non est. Nempe vallato capiti callosa etiam cutis & densa satis coma pro tutamine data noxam frigoris facile arcet. Teneram autem bronchiorum in pectore texturam & ultimos eorum fines penetrans aer, per vias a vitali motu calentes, sub ipso iam accessu tepescit. Sane ut caloris sic frigoris, etiam in

A

maiori

maiori gradu, sit corpus ipsa consuetudine patientissimum, sub coelo imprimis, quo natum est, nunquam incolis suis inimico. Velut nudis pedibus terram calcant Afri, quam feruentissimam Europaei vix calceati ferunt; haud secus in remotiori septentrione reperiuntur, qui nudis pedibus glaciem calcant, quam ne tectis quidem attingere Afri illi ausuri essent. Itaque nisi vitae mollietates nobis fructum intercipit, a commercio rerum, quibus in omni vita obuiis mature adsuescere oportuit, sperandum, frustra circumfusi aeris offensam metuimus. Fieri tamen solet, si artis praesidia intempestiue quaerimus, ut illis, quae Naturae sunt, sui iam beneficii sinum coarctantis, sensim destituamur. Quid enim mirum, si cum metu & quasi contra latentes insidias praemuniti ad illa accedimus, quae sub constantiori usu Natura nobis conciliatura erat, quod alia iam lege, quam cui adsueuimus, vivere & valere non liceat. Dicam hoc loco de capite, sub cuius nimio fotu & calore ipsi nobis eripimus frigidum aeris commode tolerandi opportunitatem. Quoties mulierculas sub illo fotu videmus auram, quam alii vix frigidiusculam dixerint, non sine doloribus capitis & flagrantis feri colluue ferre? Quin & viri, quod magnum dedecus censeo, aura illa molliores, iustas omnino Naturae poenas rependunt, cuius initiari institutis, maternae semper solertiae & prouidentiae plenis, minus quam illis fomentum erroribus consultum indicant.

In

In maiori olim pretio erant, quae corpus durare contra aeris inclementiam ipso consuetudinis beneficio poterant. Mulieres quidem tecto, viros autem aperto capite in publicum prodiisse, PLVTARCHVS inter aevi sui mores refert, a) Certe par erat, viros, quos crebro subire, hinc metuere minus coeli ac tempestatum iniurias decebat, duriori vitae genere discerni a feminis, quae domi latentes non tam impune virium suarum experimenta capiunt. Cum ne *Homerus* quidem pilei meminerit, illam nudi capitis in viris consuetudinem iam prius Graecis ADR. TVRNEVS vindicat, b) *Eustathio*, optimo *Homeri* interprete, coniecturam illam confirmante, *Ἰὼς κεφαλὰς ἀκατάλυπτος* a prius iam Graecis ad Romanos transiisse. c) Si *Vlyssis*, *Castoris*, *Hippocratis* aliorumque imago pileata reperitur, quod POLYDORO VERGILIO, d) omnem in vniuersum pileorum usum neganti, I. BRODAEVS obicit, e) illud respondere licebit, peregrinationis in his symbolum fuisse, quae ipsius *Sorani* de *Hippocratis* pileata imagine disquirentis sententia

a) *Quaest. Roman. Op. T. II. p. m. 267. A.*

b) *Adversar. L. VIII. C. IV. p. m. 223. b.*

c) *ad L. 1. Odyss. Confer Iust. Lipsii amphitheatr. C. 19. Op. Ed. Plantin. T. III. p. 578. Balch. Bonifac. Hist. ludicr. c. 20. p. m. 106.*

d) *de inuentor. rer. L. III. C. 18.*

e) *Miscell. L. III. C. 7.*

tia est. a) Nec Gallorum Germanorumque veterum dispar vitae ratio circa nuditatem capitis videri potest. Tacitus Germanorum cirros nodosque, nusquam tegmina, commemorat, & Sueuos clare testatur capite aperto crinibusque in altitudinem quandam & terrorem religatis pugnam ingressos esse b). In Romanorum certe antiquis statuis & aereis nummis nullus pileus conspicitur. *Iulium Caesarem* constat, ne deformae caluitium obrectatorum iocis obnoxium exponeret, capillos a vertice reuocasse, cumque nec sic operire satis posset, ius laureae coronae perpetuo gestandae a senatu & populo sibi decretum, vt gratissimum munus, accepisse c). *Quintilianus* oratorem suum in omni vestitu ad calcem vsque describit, nil vero nisi capilli in capite meminit. d) Haud dixerim tamen ab omni capitis velamine Romanos abstinuisse. Nam muneris aliquando ratio inter solemnes ritus postulabat, vt milites casside praeirent, flamine sacerdotes. Ludi etiam & imprimis Saturnalia, vt pileata Roma esset, permittebant. e)

Prae-

a) in *vita Hippocr.* Confer *Andr. Alciani parerga iur.* L. VIII. C. 10. Op. T. IV. p. 489, vbi tamen aliam causam subnectit.

b) de *moribus Germ.* C. 38. Op. Edit. Gron. p. 425, 426.

c) *Sueton. in vit. Iul. Caes.* C. 45. Idem *sec. C.* 57. *in agmine anteibat capite detecto, seu sol seu imber esset.*

d) *Institut. Orat. E.* XI. C. 3. Edit. Gesn. p. 584. sq. vbi & togam & calceum & capillum memorat, aliaque multa sigillatim.

e) dum *Martialis Epigr. L.* XI, 6. p. m. 611. pileatam Romam vnctis

Praeterea cum pluuium tempus incideret, tantum non omnes galero, vel cum aestuantis Solis radii imminerent, petaso aut umbella vti sunt. Neque ex alia ratione Deorum statuis, nisi ut ab auium & tempestatis squallore defenderent, lunatas umbellas, quas *μνίστρος* adpellare moris erat, imponere solebant. a) Imo religio prohibebat, Diis aliter quam velato capite sacrificare, quod fas videretur, nihil tunc alieni in oculos auresque incidere & distrahere animos: ne de priuato luctu dicam, vbi filii parentes, Deorum instar colendos, velatis capitibus efferebant. b) Huius instituti aliam certe patet quam arcendi frigoris intercessisse rationem. Sufficit in consueto vitae tra-

uentis falciferi Senis diebus vocat, subiicit *Turnebus l. c.* ceteris diebus nudo capite fuisse, aut illud veste velasse.

a) vox *Aristophanis in dramate auium v. 114. Edit. Kuffer. p. 419.* vbi chorus auium aduersis iudicibus suadet, lunulas s. *μνίστρος* sibi fabricari tanquam statuis: nam iis destitutos ab auiibus percacatum iri.

b) *Plutarch. Quaest. Rom. Op. T. II. p. m. 267. A.* Filiabus non idem licuit, quas parentes lugere ut mortuos nudis capitibus deceuit. Credebant veteres, luctui congruere, quidquid consuetudini oppositum esset, pro sexus discrimine. Velut extra luctum tegi feminarum capita, ita in eo nudari aequum videbatur, cum viri in luctu non extra eum tegerentur, & hic turba pileatorum feretrum comitaretur. Apud Graecos, si calamitas incidebat, tondebantur mulieres, viri

tramite omnes nudi capitis constanti lege fuisse, a) vel non nisi laciniam togae aut pallii contra ventum aut aestum in caput reiecisse, detractam protinus ad honoratiorum virorum occursum. Id quod quidem honoris causa factum videri potest, b) at magis, ut a cultu Deorum, qui tecta capita postulabat, cultum hominum discernere, adeoque invidiam deme-

comam alebant: cum alioquin hi tonderi, illae comam alere solerent. *ib.*

a) exceptis paucis delicatulis & mollioribus, inter quos *Seneca* in *Ep. ad Lucil.* 114. *Maecenatam* refert, qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu caput pallio velatum habuit, exclusis tantum auribus. Ipsi *Augusto* opprobrium molliciei fuit, quod domi sub dio petasatus spatiaretur. v. *Sueton.* in *vita Aug. C.* 82. *Nerensis* vero non tam mollicies quam petulantia fuit, circa crepusculum arrepto pileo popinas ingredi. *Suet.* in *vita Ner. C.* 26.

b) honoris etiam causa ad morem nostri aevi factum esse, negari nequit. *Sylla* soli *Pompeio* de sella adsurrexit, vel equo descendit & caput aperuit. v. *Plutarch.* in *vita Pompeii Op. T.* I. p. m. 622. C. D. Et *Seneca Ep.* 64. quid sit more solito facturus, si consulem viderit vel praetorem, exponens, equo inquit, desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Verum ne utrumque exemplum consuetudini nudi capitis repugnare videatur, *Plutarchus* docet, Romanos obuiis honorem habuisse, ut caput, si forte tactum esset veste, retererent. Tectum igitur aliquando fuisse, cum *Andr. Alcinto* & aliis ad aestum,

demerent obuiis, quasi Deorum more coli vellent. a) Maxime huius loci est, quod ex *Varrone* *PLINIUS* refert, nempe capita aperire adspectu magistratum non tam maiores iussisse venerationis causa quam valetudinis, ut finiora capita per crebram illam nudandi consuetudinem fierent. b) Quam firmitatem dudum *HERODOTUS* exemplo Aegyptiorum illustravit, quorum & Persarum strata cruento praelio cadauera ipsis craniis discernere licuit, fragilibus nempe & inualidis Persarum, quippe tiaras semper gestantium, durissimis vero & compactissimis Aegyptiorum, quippe Soli capita rasa & nuda obliquentium. c) Aliquid sensum debilibus, aegris, senibus indultum est. Primum forte tegmen capiti infantis ex sacro lauacro suscepti impositum & per octiduum gestatum esse, ex *Augustino* colligimus. d) Senibus aulicis teste *Nicephoro Gregora* e) pileis turbinatis & serico textis uti sensum licuit, cum iuniores

flum, ventum, pluuiam similiaque restringimus, ad quae equitantes vel peregrinantes maxime tegi, non indecens etiam antiquis visum est.

a) *Plutarch. Quaest. Rom. Op. T. II. p. 266. C. D.*

b) *Hist. Nat. L. XVIII. C. 6. Edit. Harduin. T. II. p. 454. l. 25.*

c) *Hist. L. III. C. 12. Edit. Gronov. p. 163. 12.* Persarum capita distringere licuit *ψήφω μόνῃ*, Aegyptiorum vix *λίθῳ πάντας διασπέρχεις*.

d) *serm. de temp. C. 2.*

e) *Hist. Byzant. L. XI, in fine.* Omnibus in palatio & agro permittit

iuniores nudis adhuc capitibus essent, donec *Andronicus Palaeologus* omnibus, qui vellent, usum pilei concederet, crescente iam aevi morumque mollietate.

Est sine dubio aliquid ad propositam quaestionem momenti in illo veterum per tot secula consensu, pileos, mitras & alia capitis externa integumenta, quibus plerique hodie ad arcendum frigus, quasi capiti inimicum, utuntur, tanquam superflua imo noxia reiciiente. Noxium enim profecto est, ad grauedinum & catarrhorum, quorum fere nomen prisca aetas nesciuit, contubernium, emollitis intempestiuo fotu externis capitis partibus, damnari. Neque desunt hodie, qui cum *IO. LOCKIO* suadent, pueris post unum alterumque annum iam capillitio satis tectis permittere, ut toto die sine mitris obambulent, & noctu sine iisdem cubent. *a)* Verum in hoc non adquiescunt attentiores ad valetudinis negotium, sed frigus longe quam externi aeris luculentius admittunt. Frigida lauare non faciem solum, quod nemo Borealium vel ipsa hieme metuit, sed & totum caput, multi hodie, imprimis Angli

permisit pileis uti, iisque multiformibus & peregrinis, quales cuique probarentur, Triballieis, Syris aliisque.

*a) de educat. pueror.* Hinc illud olim senum robur. *Massinissa* nonaginta annos natus nullo frigore, nullo imbri, adduci potuit, ut capite operto esset. *Cic. de senect. C. 10.* Sic *Hannibalem Scipio Italicus Punicor. L. I. v. 250-251.* scribit - - *vertice nudo excipere insanos imbres coelique ruinam.*

Angli commendant. G. CHEYNAEVS maximum ad aures oculos totumque caput commodum, quod experti soli penitus cognoscant, ex frequenti capillorum tonsura & capitis in frigidam immersione promittit. a) Singulis vel alternis diebus fieri hoc vult, saltem quoties fieri commode possit, ut barba & capillis resectis caput frigida proluatur: id enim fonticuli instar & perpetui vesicatorii esse, nec oscula solum cutis a fure obstruente liberari, sed &, ne copiosus nimis perspirabilium egressus sit, laxiores meatus stringi & roborari. Ita & frigidaria commendat pro totius corporis ingressu, in omnium, si fieri possit, aedibus instruenda, & biduo quolibet vel quadriduo adeunda, hieme & aestate; sic tamen, ut ante ingressum caput aqua perfundatur, vel humente sponsa lauetur. b) Neque hic desunt praeceuntis doctrinae veteris exempla. CELSVS caput, quod infirmum est, veste velare vetat, at fricare leuiter, quotidie capillos pectere, ambulare sub tecto, non in Sole, & in balneo frigida aqua diutius caput quam ceteras partes perfundere suadet. Nil aequae, paulo post inquit, capiti prodest quam aqua frigida: itaque is, cui hoc infirmum, id per aestatem bene largo canali quotidie debet

a) *de infirmor. sanit. tuend. C. VII. §. 9. p. 218. & 220.*

b) *l. c. C. IV. §. 8. p. 30, 31.* Cui illa opportunitas non est, opportunum saltem erit eius consilio se cuiusvis vitae aquae immergere.

debet aliquamdiu subiicere. a) Rationem commentator *Celsi* H. THRIVER. BRACHELIUS non ineptam subiicit, b) ut nihil nimirum vitii inferne redundantis caput admittat, se ipsum vero contra externas iniurias densata cute defendat. Alio loco CELSVS non his solum, quos capitis imbecillitas torquet, vsum aquae frigidae prodesse scribit, sed & iis, quos assidue lip-pitudines, grauedines, destillationes tonsillaeque male habent. c) Atque his caput totum quotidie perfundendum esse, os quoque multa frigida fouendum, praecipue ubi grauius coelum Austri reddiderint, ibidem monet. Maxime vero in doloribus

a) *de medic. L. 1. C. 4. p. m. 40.* Quod consilium securus videtur *Franciscus ant. Mercurius ab Helmont*, qui non solum caput, pilis parce munitum, pileo nunquam texit, nisi publici decori ratio aliquando exigeret, sed & adhuc senex leuato leuatus subiicit caput aquae ex fonte profluente, idque ipsa hieme, ignarus coryzae, grauedinis, tussis, quibus sub tempestatis subita mutatione plerique laborant.

b) *ib. in Not. p. 42.* ubi simul *Hippocratem* excusat, qui ob praecocem caluitiem prae aliis philosophis caput texit. Sed de *Hippocrate* paulo ante vidimus, cuius pileus peregrinationis symbolum fuit. Iustius ex *Aristotele Brachelius* notat, caput semper molle & effeminatum eos circumferre, qui in densa caesarie etiam duplici aliquando tegmine caput onerant. *Miror*, inquit, *cur non ipsam faciem inuoluant.*

c) *ib. L. 1. C. 5. p. m. 43.* Adde *C. 9. p. 42.* ubi magis ad iuvenes & plenos frigoris salubritatem restringit. *Aqua*, ibidem

loribus capitis ab aestu expedire ait aqua frigida multa perfundere caput, & spongiam concavam imponere, subinde in aqua frigida expressam, ubi & alia externa refrigerantia subiungit. a) In lethargo validissime excitare aquam frigidam censet, totis amphoris tribus aut quatuor adfusam: in phrenitide caput ad cutem tonderi, dein aqua foueri iubet. b) Quae sententia non multum ab illa ARETAEI abest, qui phreniticorum caput vigente morbo, dum maxime insaniunt aegri, rigare humore frigido praecipit, & frigidiori quidem per aestatem, posca etiam, quae spongiam implet, faciem fouere. c) Apud *Ambros. Pareum* phreniticus ex alto in animum praeceps conualuit, adeo interdum inexpectatus casus haesitantis

dem inquit, frigida infusa, praeterquam capiti, etiam stomacho prodest.

- a) *ib. L. IV. C. 2. p. m. 372.* Exponit, quae communia sunt in omni inueterato capitis dolore, quo levato iubet in balneo multa aqua, primum calida, deinde frigida, caput perfundi.
- b) alterum occurrit *ib. L. III. C. 20. p. m. 337.* quod & *Soranus* suadet, alterum *L. III. C. 18. p. m. 324.*
- c) *de curat. morb. acut. L. F. C. 1. Edit. Boerb. p. 74. E.* Et paullo ante, irrigandum est, inquit, caput refrigerandi causa. Pariter *de caus. ac sign. morb. acut. L. II. C. 3. Op. p. 16.* A. capillorum ait detensione & cutis irrigatione phreniticos releuari.

tantis medici iudicium confirmat. Alterius etiam generis frigida recentiores hic passim commendant. a) Et *Celsus* quidem, cuius maxime auctoritatem frigidis patrocinari vidimus, non modo *Asclepiadem*, qui frigida multum extulit, siue aquam siue balnea, b) & *Antonium Musam*, eiusdem *Asclepiadis* cum *Themisone* auditorem, si recte *Plinium* interpretatur *HARDVINUS*, c) habuit praeceuntes, alterius quoque mirificos in *Augusto* per frigida sanato successus, recenti memoria, quippe non multum ab illo aeuo remotus, tenuit; sed & fauentem sibi *Hippocratis* experientiam reperit, qui mulieri, cuius inter tormina ventris vomitusque cruentos sissi spiritus adeo coeperunt, ut vita decessisse videretur, solas profuisse scribit triginta circiter amphoras corpori superfusas. d) Multiplicem igitur frigidorum in sanis aegrisque usum circa caput, modo extra

a) *I. G. Walther in sylv. med. p. 1251. citat verba Fabr. Bartoletti: Obseruo in feruidissima phrenitide licere uti cucurbitarum carne contusa & nix refrigerata rasoque capiti adposita, qua praeter spem phreniticus euasit. meth. in dyspn. L. V. C. 2. P. Borrellus in Obs. Cent. IV. 94. rustici meminit, qui frigidas capiti cucurbitarum taleolas imponens & saepe renouans phrenitides sanauit.*

b) *v. Dan. Clerici Hist. de la medicine P. II. L. III. C. 7. p. m. 402.*

c) *id colligit ex verbis nonnihil ambiguus Plinii in Hist. Nat. L. XXIX. C. 1. Edit. Harduin. T. II. p. 494. 9.*

d) *Epidem. V. 18. Edit. Linden. T. I. p. 782. 4. sq. Quatuor mauult legere Ant. Cocchi.*

extra flatum vulneris sit, a) facile agnosco, dum systalticum vasorum robur, quod huc redundantium humorum colluuiem reprimit, non inficienda virtute sustentat. At de frigidis totius corporis balneis ambigo iustius, certe plus cautionis exigo, cum necesse sit, ab illo externo ambientium aquarum onere sursum vrgeri humores, praesertim in plenioribus, & caput obrui. Si Lacedaemones veteresque Germani & Celtae puerorum corpora, ut durabilia a primo ortu redderent, in frigidam statim immerferunt: si *Charmis* etiam per hiemem lauari frigida, aegrosque in lacus demergi voluit; id certe cum *Ant. Vallisnerio* notamus, calidiorum regionum aquas cum nostris multum gelidioribus, & plus, si totum corpus spectes, providentiae medicae requirentibus eodem salubritatis gradu metiendas non esse. Sit ita, quod *CHEYNAEVS* censet sobrios frigus non laedere, nisi summum vel diutissime protractum. b) Certe frigus in copia aquae omnem calentis corporis

a) nam omnium iudicio vulneribus, imprimis capitis, frigus inimicum est.

b) de *infirm. sanit. tuend. C. VII. p. 8. p. 218.* Neque enim iniurias frigoris, quae isto gradu excedunt, vel ipsum caput, nisi a pueris adtuetum, tuto sustinet. *Gottl. Schoberus* opificis meminit, qui sub dio, cum gelu omnia rigerent, capite ob honestiorum praesentiam diutissime nudato in cephalalgiam incidit, quam sensim amaurosis, epilepsia & ipsa tandem apople-

poris superficiem mergentis, idque non sine luculenta mora, nequit nisi in summe adfuetis sine periculo admitti. Maxime in partibus a prima motus & caloris origine remotis, ut pedibus, iam languens sua natura humorum circuitus opprimi frigidorum actu & mora non debet. Negat enim ipse CHEYNAEVS, manifestius integrae sanitatis documentum esse, quam blandum in pedibus calorem, liberamque in iis perspirationem. Subiicit, infirmi hominis crura & pedes perpetuo frigere, & in iis primum locis gelidi aeris noxam comparere, hinc crebro & singulis minimum hebdomadibus imbecilliorum pedes aqua tepida fouendos, plantas simul pedum fricandas & ungues rescindendos esse. Verum in hunc campum a) paulatim adhuc excurrere animus est.

Magni momenti pedum functio est, totam quippe corporis molem sustinens, & in loca tam varia, quo humana indigentia vocat, cum summo laborum & vitae leuamine transferens,

apoplexia secuta est, *Eph. N. C. D. III. A. IX. & X. O. 253. p. 436. Ioseph. Lanzonus ib. D. III. A. VII. & VIII. O. 69. p. 117.* surditatem puellae, cuius caput mater aqua frigida lauit, recenset, quod tamen vitium post tumorem in brachio sponte natum cessauit. Fortuita est haec frigoris noxa, dum natam feri stasim subito repellit.

m) *l. c. C. VII. §. 9. p. 220.* Neque hinc vel ipsi *Platoni* adsentimur, qui pro valetudine suavit, pedes & caput non aliter tegere, quam *Natura* texit. Iustius de capite quam pedibus monuit,

ferens. In his itaque vegetiorem vitalium humorum circuitum, a quo calor pendet, requiro, ut nempe partim arteriosus sanguis, licet in loca a corde maxime distantia, pleno tamen & aequabili riuo influat, partim venosus obuias in adscensu difficultates haud languidiori, quam par est, molimine superet. Id vero in iis, quibus robustum corpus & vita exercitata non est, ea lege, qua sanitas nititur, raro diu & cum constantia quadam procedit. Cordis enim humores per vasa propellentis actio inter tot crescentes in progressu resistentias semper aliquid sui motus perdit, ut hinc debilior & sine attritu illo, cuius comes calor est, ad extremos pedum terminos pertingat. Etiam citius impressus a corde motus elanguesceret, nisi illum proniores in descensu arteriarum viae leuarent. At venae, quarum adscendentium sanguinem nihil magis quam pedum muscoli in crebra actione positi ad cor reducunt, quoties his per quietiorem vitam praesidiis destituuntur, tument facile & distenduntur, ut hinc in lentiori per illas motu nihil fere sit, quod calorem sustentet. Mirum igitur non est, inter diminutas interni attritus causas plerorumque pedes praeter reliquis partibus frigere, adeoque etiam, cum a vigore attritus illius perspirantium pedum salubritas plurimum pendeat, hanc non exiguo valetudinis incommodo sufflaminari, & quod exclusum redundat, haerere & accumulari. His si praeterea externum frigus accesserit, cuius paullo maioris triplex iniuria est, arctare vasa, spissare fluida, imminuere motum, patet.

tet, calorem his locis tam necessarium opprimi nimis, & sanguinem, qui huc iusta vi & copia deferri motuque & calorem impertiri debebat, nunc minus admissum obruere alias partes, suo ingressui ob laxitatem patentiores, praesertim abdominis, in quo primae & proximae a pedibus redundantium humorum latebrae sunt, deinde thoracis, & in maiori iniuriæ gradu ipsius capitis. Videas, qui surgunt de nocte & frigidum nudis pedibus pavementum sub aliqua mora calcant, in tormina mox ventris & aluinas deiectiones incidere, a) paucis forte exceptis, quibus durabilius & frigoris iniuriis adfuetum corpus contigit, b) Lympha vero inferius non distributa & per moram ac corruptelam acrior quo ruat facilius? Spasmos colicos in iis, qui tenerioris texturae sunt, huius maxime originis esse, medicus sub causarum solerti examine facile cognoscit. Ideo in omni fere morbo abdominali nulla aliunde maior noxa oritur quam a refrigeratis pedibus. Quod dum feminis accidit, consuetus uteri fluxus nunc intenditur magis, nunc etiam supprimitur. Illud fit in copioso ac fluxili sanguine, ac circa tempus, quo iam extendere vasa uterina

a) ut de fratre suo P. Forestus refert L. X. Obs. X. Fortuita aliquando in aluo diu constipata inde salubritas fuit in *medical. Essays* T. V. p. II. p. 893.

b) quo maxime refero, qui nudis a puero pedibus, etiam sub frigidiori coelo ambulare soliti callosam reddidere cutem, ut in eam sensu vacuam & laxari vel constringi impotem nihil sensum vis frigoris valeat.

rina incipit, nouumque ab isto stimulo virium nisum acquirit. Hic vero frigus altius diffusum ipsas solitae excretionis vias occludit, spissiori inprimis, nec simili vi vrgenti sanguini. Quapropter omnes feminae in menstruo, ac viri in haemorrhoidali fluxu, circa tempus, quo ille instat, cauere sedulo debent, ne frigus pedes corripiat. Nulli vero magis quam hypochondriaci laborant, quibus, quousque pedibus calent, mitior valetudo est, protinus, vbi frigent, turbata. Non hic omitto, quae de consensu inter pedes & genitalia plerique auctores praeunte ARISTOTELE a) tradunt, nempe sub frigore pedum virtutem, qua viri sumus, obtundi. Diserte AVICENNA incessum nudis pedibus Veneris sedare incendia & coitus opprimere desiderium scribit, b) nec potentius alii in priapismo remedium, cuius usu molestus virgae rigor soluitur, quam incessum nudis pedibus agnoscunt. c) Huc spectans S. Franciscus pro seruando castitatis voto calceamentorum usum suis inter-

a) Cur obsit ἀνυποδησῆαι πρὸς ἀφροδισιασμοῦς, inquit in S. IV. probl. V. Op. Edit. Duval. T. IV. p. 70. C. μὴ θερμῶν ὀνύων, inquit, εἴτε ἀδύνατον εἴτε χαλεπὸν ἀφροδισιάσαι. De paralyti penis ex frigore v. C. F. Garmann in Eph. N. C. D. I. A. III. Op. 41. p. 68. ineptus thalami torique rebus.

b) Op. L. III. fem. 20. Tr. I. C. 28. ad finem. Edit Valgrif. T. I. p. 897.

c) I. B. Sinibald. geneanthrop. L. III. n. 3. p. m. 339. Gasp. a Reies Elyf. camp. incund. Qv. 44. p. m. 531.

interdixit. a) E contrario virilis illa vis, quae in legitimi coniugii officiis male languet, calido maxime pedum frictu restituta est. Verum ob impar abdominalium viscerum robur ille humorum decubitus, quem intercepta nimis cum pedibus commercia pariunt, loca non semper eadem, sed ob labefactatum tonum iniuriis magis opportuna inundat. Cul-  
pam subinde hepar luit, cuius tantum cum pedibus consensum GEORGIUS BAGLIVIVS vindicat, ut ulcera hepatis ex surarum pedumque dolore se tuto cognoscere pronuntiet. b) Ad pe-  
ctus noxa frigidorum, praesertim in plethoricis, crebro  
exun-

a) *Saananarol. Tr. VI. C. 20. p. 250.* Nec multis gentibus templa adire licuit calceatis, nec Pythagoras Diis nisi nudis pedibus sacrificari fas duxit. Sacra apud Lacedaemones nudipedalia, & crebra hodie ad aedem Lauretanam vel Compstellanam vel sepulchrum Christi itinera nudis pedibus insti-  
rata habent inter officinas pietatis, quae saepe multum in va-  
letudinis leges impingunt. Laudat *Campanus Aeneam Sylvi-um*, quod delubrum Deiparae Virginis in Scotia adierit, gla-  
cie per decem millia passuum calcata. Veteres duriori vitae adfueti, ut Phocion, Cato, Socrates nudis quidem saepe in-  
cesserunt pedibus, at certe bruma calceati. Potior Naturae vox est quam imaginaria cultus divini ratio.

b) *Op. L. II. C. 9. §. III. n. 12. p. m. 217.* ProvoCAT ad *Iacobi-um*, *Baubinum* & imprimis *Hollerium*, qui *Comment. II. ad L. II. Coac. Hipp. p. 348.* bis vel ter vidit de surarum dolore conquestos post mortem ulcerata loca & hepar vomicosum ac putre habuisse. *Conf. Bresl. Samml. P. XXX. p. 431.*

exundat, a) quibus quamdiu alius patet sine tenefino, & pedes calent, nihil imminet finistri, confestim autem a pedum frigore angustiae pulmonum, palpitationes cordis & ipsa haemoptoe oboriuntur. Quae mala si aliquando remittunt, fidem pacis sub nullo maiori quam pedum rursus calentium indicio stabiliunt. Quemadmodum inter haec, quo tenerior pulmonum fabrica est, eo funestior haemoptoe in certam phthisintransitura instare creditur; ita tamen nec illa integro adhuc pedum calore accidit, & hoc diu persistente non raro debilis pulmonis, iam minus ac ante obruti, vasa inexpectatum contractilium fibrarum robur recuperant, ac triste medentum praesagium lactiori exitu eludunt. Denique qui vertigines doloresque capitis crebro queruntur, dum durat ille sensus, glaciem simul circa pedes haerere nuntiant, nec calidis admotis, quibus non aliter quam omni auxilio, quod cunctanter leuat, diffidunt, nisi constantissimo usu subleuantur, Nihil verum levamen adfert, quidquid circa ipsum caput tentetur, dum pedes frigidi manent, & pressus ad cerebrum sanguis tenera vasa grauat, medullamque cerebri & secernendorum spirituum ostiola comprimit, vnde grauissima mala, paralyfes

a) miro, inquit Balib. Bonifacius, consensu, dum pedes algent, rigor in summa praecordia transmittitur. Hist. Indier. L. II. C. 24. p. m. 49.

ralyses, sopores ipsaeque apoplexiae impendent. Qualia non raro inter spasmos abdominales oriuntur, qui ex laesa humorum ad pedes derivatione nati ad superiora determinant, nec nisi circuitus per inferiora liberetur, pacem cerebro & serenitatem menti restituant. Ne dicam de febribus, quarum impetum laxata pedum vasa & aestuantibus sub interno attritu humoribus plus spatii praebentia egregie moderantur. a) Neque vero e longinquo tantum, quid pedum refrigeratio noceat, sed & in propriis sedibus, commemorandum erat. Vitro patet, vitalem hic motum & animale[m] sensum eo celerius exstingui, quo prior causa est, quae laedit, & quo remotior virtus cordis & cerebri, quae per vasa & nervos suppetias in tutelam mittit. Paralylin pedum ex mora in loco frigido A. H. CUMMIVS testatur, b) sensum abolitum & proximis diebus emortuos pedes ac putrescentes GALENVS. c) Verum haec speciatim prosequi animus non est.

Facile patet, quid suadere in illa morborum, quorum una radix est, varietate conveniat, vel potius, antequam innalefcit,

a) Satiùs est, ante ingressum febris vel sub ipso frigore laxare pedum vasa. *Simon Schultzius* mulierem primis mensibus gravidam, insolitoque rigore & totius corporis frigore aliquoties correptam aqua calida plantis pedum subiecta sanavit in *Eph. N. C. D. I. A. VI. & VII. O. 140. p. 203.*

b) *Eph. N. C. D. I. A. I. O. 84. p. 202.*

c) *de loc. affect. L. II. C. 2. Op. Cl. IV. p. 8. E.*

ualefcit, quibus occurrendum fit? Omnibus fanis & inter hos maxime imbecillioribus, id agendum eft, vt frigus circa extrema fugiant, nunquam pedibus leuiter tectis in frigido, vel quod peius eft, fimul humido pauimento diu obambulent, nec, vbi externum frigus crefcit, noua praefidia negligant, inprimis fi fub frigida tempeftate excurrere longius tenentur. Multis etiam faniffimis non prius in lecto obrepit fomnus, quam pedes calefcunt, quos ideo fub ingreffu in lectum fricare *a)* & pediluuiio fouere, deinde altiori paululum loco, qui motum fanguinis inferne magis expediat, reponere oportet. *b)* His vero, quorum magis valetudo titubabat, & frequens de frigidis pedibus querela eft, non celem nimis opem promittimus, neque vero aliam certiore, quam per frictum linteis calidis, tepida pediluua & praeteris adfiduam ambulationem, quae motum per extrema vafa languentem falubriter & ex inftituto Naturae magis familiari intendit.

*a)* P. Rommelius Comitem non vel aegre obdormiiffe fcribit, nifi mulier ad id conducta per horae quadrantem vel vterius leuiter fricaret plantam pedis. v. *Eph. N. C. D. III. A. VII. & VIII. O. 43. p. 68.*

*b)* R. Loeper. de cordis C. II. p. 150. fq. Maxime hypochondriacos perungiliis obnoxios H. Boerhaave *Inftit. med. §. 856. n. 2.* vocat, & in notis *Edit. Haller. T. VI. p. 245.* haec verba fubiicit: *fi obtinueris in hypochondriacis, ne pedes frigeant, neque caput caleat, fanasti moleftas ipforum vigilias.*

intendit. a) Arthriticis, quos nihil magis quam frigus extremorum in morbum praecipitat, b) figillatim sub interuallis morbi, ne recrudescat, continuo & aequabili opus est pedum tepore, vt bene perspirent. Probe eos tegant, imprimis noctu, genua etiam in maiori calore conseruent. c) Id quamdiu in

a) ambulatio maxime consulit tumentibus a vita sedentaria pedibus. Olim a medicis teste *Plusarcho* nihil magis quam continua ambulatio hypochondriacis commendata est. Feminis *Mercurialis* a frequenti ambulatione, etiam per aspera, regularem promittit mensium fluxum.

b) *Car. Raygerus* opificis meminit, qui ligna ad opus suum necessaria ex aquis per bihorium saeva hieme extrahens visum amisit, & horrendis postea articulorum doloribus, qui in perpetuos tremores transierunt, laborauit. *Eph. N. C. D. I. A. VI. & VII. O. 211. p. 310.* In ipsis iam arthriticis & podagricis frigus pedum varia interne & saeuissima mala peperit, vt singultum teste *H. Welschio* *Curat. II. Op. 4.* cardialgiam & flatus referente *F. Hofmanno* in *Med. syst. T. IV. P. II. S. II. C. 2. p. 229.* colicam *ib. C. V. p. 323.* dysuriam & spasmus in collo vesicae *ib. P. III. C. 1. p. 287.* *Musgrauius de Arthrit. p. 334* podagrici meminit, qui hieme pedes aquae frigidae immerfit. Euanuit podagra, periit tussiens oppresso pectore.

c) docet *Sanctorius de medic. static. S. IV. §. 12.* libram perspirabilem vna nocte supprimi, si quis pedibus coxisque detectis dormit. Nempe pedes & coxas quintum circiter perspirantis cutis partem conficere, *Listerus* computat. Nudati vigilantes non

in podagricis obtinetur, norunt omnes, nouam morbi vim in propinquo hand esse. a) Qui acutis decumbunt morbis, sub quibus saepe finis omnis exanthemata erumpunt, nulla facile re plus sibi nocent quam porrectis incaute pro aura frigidiuscula captanda extra lectum pedibus, cum tantum damni vix attulisset, supernas partes suo fotu destituisse. Angustiae enim pectoris, deliria aliaque funesta mala denso plerumque agmine & confestim subsequuntur. b)

Non

non idem patiuntur, quia vigiliarum motus plus frigori resistit. Hinc in India orientali nudos sub dio dormientes fieri arthriticos, paralyticos, hydropicos legimus, non si vigilantes in simili aere aequae nudi versentur. De conseruando calore genuum pedibus prospiciente bene scribit idem *Sanctorius l. c. §. 91. dum genua actis calida conseruantur, non algent pedes, bene tunc homines dormiunt, magis perspirant, minus moriuntur.* Prodest omnino valetudinariis ob distantiam illam cordis a pedibus, vti *Listerius* eundem locum illustrat, incalescere sanguinem ad genus tanquam viam mediam.

a) hinc *H. Boerhaue aph. 1282.* machinam staticam *Sanctorii* summam directricem & indicem futurorum & faciendorum vocat. Id vult, ad primum signum suppressae in pedibus perspirationis, quae vim podagrae instaurat, statim omni opera connitendum esse, vt ad vsum mesabilium liquidorum frictumque & calorem pedum perspiratio horum redeat.

b) refert *Galenus ex Hippocrate de vict. rat. in acut. Comm. IV. Op. Cl. VII. p. 139. F.* quid tunc in statu frigidorum pedum metu.

Non illud prorsus discrimen praetereo inter sanos aegrosque, quos frigus pedum utrinque infestat. Illos plerumque totius corporis refrigeratio, maior certe quam ante comitatur. His circa loca, quo ruit sanguis & congeritur, ut caput, querela non minor esse solet de sensu ardoris ad caput, quam frigoris ad pedes. Id certe iusta artis observata confirmant, totum corpus in moderato calore persistere, si pedes calent, cum vis cordis, quae causam motus & caloris ad loca tam remota diffundit, propiora his suis praesidiis, modo alia non obstant, destituat minus. Circa oedemata pedum illud singulare videri potest, quod alia in frigore evanescent, redeant in calore: alia dissipentur calore, regenerentur sub novo frigore. Prius atoniam prodit ab externis causis inductam, ubi calor plus laxat & allicit humores, frigus stringit & reprimat tumores. Posterius laesae perspirationi debetur, quam liberat calor, frigus plus cohibet. Vnde vulgaris medentum regula nata est, quae alterum oedema spirituosum, alterum siccis calidisque herbarum fomentis oppugnat. At cuiuscunque originis sit, in eo semper frigidos pedes mali ominis esse censemus. Nam in illo etiam, cui frigus mederi ob laxitatem solidorum videtur, ambiguae fidei istud auxilium est. Educi enim non repelli congesta & stagnantia debebant, & robur tensis solitis, ne novae colluviei sinum pandant, restitui.

metuendum faciendumque? *Op. Cl. III. p. 137. F. lethale signum in acutis vocat frigida ac liuida extrema,*

stitui. Repellendo detumescunt quidem pedes, verum siue in abdomen, siue pectus, siue caput, siue etiam artus redundare nihil potest sine maiori iniuria & nobiliorum functionum laesione.

Accedo ad candidatos medicinae, qui morbis, quantum in scholis academicis licet, a capite ad pedes sub communi illo partium nexu cognitis & in iusta medendi ratione perspectis ad honores nostros, eorumque praesidio ad exercendae artis iura propitiis legibus adspirant. Audiemus eos suis verbis, quam semitam studiorum & quibus ducibus ingressi emensque sint, enarrantes.

## I. HENRICVS WILHELMVS FORCKE

Sora nascendi per diuinam gratiam mihi obtigit die XXX Nouembris A. R. S. c101000XXXI. *Gronauiae* Episcopatus Hildesienfis oppido, in quo pater pharmacopoeus IO. FRIDERICVS FORCKE & mater DOROTHEA MARIA ex stirpe *Detmeriana*, utrique hodie superstites, & quod Deus faxit, in plures annos futuri, nihil in omni aetatis meae cursu omiserunt, quod vel infantem vel puerum vel adolescentem ad pietatis fontes & litterarum vireta duceret. Sic strata ad vitam academicam via in hanc Pieridum sedem mense aprilis A. S. c101000C. transii, & iura litterariae ciuitatis a magnifico tunc Prorectore, IAC. WILH. FEVERLINO, primo inter theologos professore & sacri synedrii consiliario accepi. Profuit multum audiuisse excellentissimos in philosophia professores, HOLLMANNVM in physica generali & speciali, WAHNERNVM in mathesi, WEBERVM in psychologia. Vnde ad medicinam, cui me addixi, delatus duces reperi suis meritis illustres, RICHTERVM in historia medicinae, pathologia, diaetetica, & praescriptionibus formularum medicarum, HALLERVM in physiologia, anatomia & botanica, SEGNERVM in chemia, BRENDELIVM in pharmacia, materia medica, arte obstetricia, methodo medendi, praxi medica & praelectionibus in pharmaciam Württembergensem. Iussu parentis discessi ad tempus in aliam Fridericianam sub academico magistratu magnifici MICHAELIS. Praeunte clarissimo WEBERO praeceptiones logices & metaphysices repetii, ius Naturae etiam ex ore eius hauriens.

Cele-

Celebres simul viros adii, EBERHARDVM in matheſi, mechanica & phyſica experimentali, STRVMPHVVM in botanica, BASSIVM in chirurgia & arte obſtetricia: at hi ambo iam inter coelites verſantur. Illuſtris etiam BÜCHNERI praelectionibus in *Scharundatum* de modo & ratione viſendi aegros, & excellentiſſimi IVNCKERI clinicis exercitationibus ſedulo interfui. Exacto in ſtudiis quadriennio cura valetudinis me impulit, vt domum redirem. Poſt breue quietis interuallum conceſſi Berolinum, & inclyti viri MECKELII ſolidiſſimas demonſtrationes anatomicas frequentavi, manumque ipſe ſecandis in florentiſſimo theatro cadaueribus admoui, frequens quoque ſpectator operationum chirurgicarum ſub auſpiciis experientiſſimi viri D. FALLAS & eorum omnium, quae in noſocomio, quod a charitate nomen habet, fierent. Praeterea tam felici mihi eſſe contigit, vt celeberrimi LIEBERKÜHNIT, viri in minutiſſimis corporum partibus iniciendis verſatiſſimi praeparata anatomica viderim, aliaque Berolini & vicinis locis, nuper etiam Caſtellis, Naturae & artis admiranda, gratiſſimos medico ex tali itinere fructus. Neque dictis ſegniter adieci cognitionem linguarum, Anglicae, Gallicae & Italicae.

Ad nos redux eruditionis medicae in variis locis adquiſitae theſauros pro conſequendis honoribus medicis cenſurae noſtrae expoſuit. Cenſuimus deterioris notae non eſſe, & merito aperiri campum, in quo eximiam de ſe exſpectationem confirmet. Igitur duce & comite coniunctiſſimo collega, illuſtri BRENDelio die XIII. Septembris prodibit in palaeſtram, & inaugurale ſpecimen *de fluxione ad naves in taheſcentibus ducenda ſuper locis nonnullis Hippocraticis* publicae cenſurae ſubiiciet, habita lectione curſoria *de praecipuis circa diagnoſin morborum quorundam momentis.*

## II. PHILIPPVS HENRICVS WEDEMEYER

Natus ſum Eimbeckae die XVII Maii A. R. S. c1c1ccxxvii patre IOANNE ERNEſTO WEDEMEYER, piſtore dulciario, matre SOPHIA MARGARETA SCHOENEFELDT, vtriſque iam ad coelites tranſgreſſis. Horum, cum viuerent, prouida cura tam domeſticis me tradidit quam publicis in ſchola patria praeceptoribus, vt reuerentia Dei & bonarum litterarum amore animum inbuerent. Inter haec auia materna me Gandersheimium anno aetatis decimo quarto euocavit, & clariſſimo viro, NEMPZOVIO, qui paedagogio praefuit, ad proſequendam latinae &

& graecae linguae culturam commisit. Aliquot abhinc annis Clausthalienſe in ſylva Hercynia lyceum ad ſtadium humaniorum litterarum plenius emetiendum petii. Ita ad altiora praeparatus Academiam Georgiam Auguſtam A. S. cIoIoCCli ingreſſus magnifico tunc Proreſtori G. H. AYRERO, conſiliario aulico & iurium antecellori nomen dedi. Hic celeberrimos Profeſſores, HOLLMANNVM in phyſica experimentalis & theoretica, WAEHNERVM in matheſi, WEBERVM in logica & metaphyſica, MAYERVM in mechanica audiui. Quibus praemunitus ad medicas diſciplinās acceſſi, duobus illuſtris famae viris, RICHTERO in pathologia, diaetetica, materia medica, arte concinnandi formulas & ipſa praxi, HALLERO in botanica, anatomia, phyſiologia & chirurgia, SEGNERO in chemia, BRENDELIO in phyſiologia, pharmacia, pathologia, ſemiotica, chirurgia, medicina forenſi, praelectionibus in Coſica Hippocratis & praxi medica, ROEBERERO in oſteologia, anatomia, phyſiologia & arte obſtetricia, ZINNIO in botanica, oſteologia & theoria anatomica.

Inter haec doctrinae medicae ſubſidia ad artis exercitium ſe Candidatus accingit, & an in hunc ſcopum ſufficerent, tentari a nobis vires ſuas & ingenii profeſtus voluit. Annuit ordo, nec ſpe ſua inferiore reperit. Igitur illuſtris archiater regius, coniunctiſſimus Collega IO. GOTHOF. BRENDELIUS comitari illum ad cathedram & in diſputatione de *phrenitide verna & aeſtiua* die XIV Septembris habenda praefidium commodare ſuum conſtituit. Praemittenda lectio, quam cursoriam vocant, aget de *asthmate*.

### III. IVSTVS HENRICVS ELLENBERGER

Natus Rotenbergae in Haſſia menſe Aprilis A. S. cIoIoCCXXXV patrem COLO GEORGIVM ELLENBERGER, pharmacopolam ibidem & matrem AMALIAM RÜCKERSFELDIAM, praeconis verbi diuini filiam. Puerilem aetatem meam domeſtici praeceptores formarunt, donec Vacciam miſſus in diſciplinam Reſtoris SEMMELII tranſirem. Ab obitu matris patrium lyceum repetii, rectore clariffimo STRÜBELINO. Ab hoc in litteris humanioribus, a patre in re pharmaceutia inſtitutus menſe demum Maii A. S. cIoIoCCLIII Gottingenſes muſas ſalutaui, a magnifico tunc Proreſtore ANDR. WEBERO ius litterariae ciuitatis conſecutus. Audiui meritiffimos medicinae profeſſores, RICHTERVM in materia medica, pathologia, diaetetica, praxi & methodo caſus medicos elaborandi, BRENDELIVM in phyſiologia, pathologia, ſemiotica,

pharmacis, praxi & medicina forensi, ROEDERERVM in physiologia, anatomia, chirurgia & rei obstetricae tam theoria quam praxi, ZINNIVM in botanica, quem quoque cum aliis ad metallicas fodinas in tractu Hercyniae excurrentem cum fructu comitatus sum. His meis in medicina praeceptoribus vti plurimum debeo, ita & excellentissimis viris, HOLLMANNO, quo duce totum stadium philosophicum exegi, WAEHNERO in graeca litteratura & mathesi, & TOMFSONO in lingua Anglica.

Admissus est ad examina, ab his ad cathedram, in qua sub praesidio illustri BRENDELII die XV Septembris post lectionem cursoriam *de phrenitide* disputationem *de pleuritide* defendet.

#### IV. LEBRECHT FRIDERICVS BENIAMIN LENTIN

*Erfordiae* vitali aera frui coepi die XI Aprilis A.S.R. cIoIccxxxvi. Patrem diuina clementia dedit, & in hunc diem, de quo summo opere gaudeo, conseruauit GASTARVM FRIDERICVM LENTIN, I. V. D. Consulem secundum collegii senatorii & xenodochii maioris administratorem. Matrem habui ELEONORAM IOANNAM MAGDALENAM, TOBIAE IACOBI REINHARTI, consilarii regii & iurium, vti in Erfordiensis olim, ita deinceps in Georgia Augusta antecessoris collegiique iuridici praesidis filiam. At hanc aequae ac apum non amplius rebus humanis in meum solatium superesse, etiam dum haec scribo, luctu afficio. Nulla mihi, quae teneram aetatem regeret, parentum cura & sollicitudo defuit, siue coelestis siue humanae doctrinae rudimenta spectem. Summum mihi in humaniorum litterarum studio operam impenderunt egregii viri, STIELERVS I. V. D. & gymnasii senatorii director, KRIZIVS nunc *Azmansdorfiae* verbi diuini praeco, & KROMAYERVS rector scholae ad Minoritas. Nefas esset silentio premere horum in me merita, quibus ad annum vsque seculi quadragesimum nonum mirifice adiutus vitam iam ingredi academicam potui, & ciuium numero a venerabili viro, GUNTHERO, monasterii regii S. S. Apostolorum Petri & Pauli Abbate aggregari. Ab illo tempore praelectionibus interfui celeberrimorum doctrina & experientia medica virorum, KNIPHOFFII in institutionibus medicis, physiologia, pathologia, medicina forensi, anatomia & botanica, RIDELII in anatomia theoretica, VOGELII in materia medica, BAYMERI in pathologia speciali & arte consignandi formulas. His adiunxi laudatissimos viros, GORDONVM, patrem olim monasterii Scottorum, in physica experimentalis, ADLVNGIVM, gymnasii senatorii professorem.

em, in mathesi pura & applicata, BAYMERVM in philosophia. At  
 & hanc splendidam adire musarum sedem, cuius tunc sceptrum gessit  
 magnificus G. H. RIBOVIVS, A. S. c1010ccliv per paternam indulgen-  
 tiam licuit, & novis imminere, quae hic ample se offerunt, exco-  
 lendi ingenii occasionibus. Frequentavi scholas excellentissimorum  
 medicorum, RICHTERI in pertractatis morbis chronicis, pathologia &  
 methodo elaborandi casus medicos; BRENDLII in chirurgia; ROEDE-  
 RERI in physiologia, chirurgia, demonstrationibus anatomicis, medi-  
 cina legali, theoria ac praxi rei obstetriciae, & illa imprimis parte,  
 quae gravidarum, puerperarum & infantum morbos spectat; ZINNII  
 in demonstrationibus plantarum; VOGELII in materia medica, pharma-  
 cia, chemia, minerologia, semiotica & methodo medendi. Inter  
 haec non neglexi linguarum studium, Anglicae, Gallicae & Italicae,  
 praecurrentibus *Küftero, Collignon & D'Arata*.

Gaudemus, nepotem illustris olim REINHARTI, cuius in acade-  
 miam merita animis nostris, quippe tot annorum cum insigni cultu  
 testibus, altius inhaerent, decus familiae spemque consultissimi paren-  
 tis propriis culti ingenii animique laudibus sustentare. In examini-  
 bus nostris, quibus se subiecit, ut dextre ad singula respondit, ita nos  
 laeta futurae fortis omina inde colligere coepimus. Descendet in aci-  
 em sine praeside die XVI Septembris & post lectionem, quam cur-  
 soriam vocant, *de sectione iugularium a veteribus celebrata* dissertatio-  
 nem suam *de praerogativa venae sectionis in partibus laborantibus* publi-  
 cae eruditorum disquisitioni subijciet.

Atque his quatuor Candidatis post res suas bene & ex le-  
 gum praescripto gestas dies XVII Septembris, qui inaugura-  
 tae academiae memoriam inter solemnes ceremonias instaurat,  
 summos in medicina honores manu mea in templo academi-  
 co conferendos, ut praemia industriae, ordo noster decrevit.  
 Quae panegyris vnde plus expectare poterit splendoris quam a  
 praesentia SERENISSIMORVM HASSIAE PRINCIPVM? quorum  
 admirabili in musas nostras per biennium fere propensione, nihil  
 rerum harum tam tenuium fastidiente, totus exultat coetus litterari-  
 us. Si potiemur votis, id inviolabilis pietatis vincula dudum  
 nobis iniecta nouo & indissolubili nodo firmabit. Et vos  
 Magni-

Magnifice Prorector, illustrissime S. R. I. Comes, graui-  
 senatus academici Proceres, Hospites omnium ordinum honorati,  
 simi, Cives imprimis generosissimi nobilissimique, ad condeco-  
 randos praesentia vestra dies tum istos, qui in palaestra candidatos  
 nostros sistent, tum illum, qui publicos honores impertiet, ob-  
 seruanter & humanissime invito. P. P. in Academia Georgia  
 Augusta die XII, Sept. A. R. S. c1010ccclvi.



IC



Handwritten signature or name, possibly "M. Stueben".